Lane Medical Library

DE

ERYSIPELATE TYPHOSO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIV. M. APRILIS A. MDCCCLVI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRIDERICUS GUILELMUS NATHUSIUS

BARUTHENSIS.

OPPONENTIBUS:

G. HORN, MED. ET CHIR. DD.

F. HOEFER, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.

F. SCHOECKEL, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT FR. GUIL. NIETACK.

NEC NON

EIUS FILIIS

NOBILITATE, LIBERALITATE

ATQUE

HUMANITATE EXCELLENTISSIMIS

HOCCE

OPUSCULUM

GRATO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Novam pestilentiarum speciem, quam terram patriam adhuc non invasisse gaudemus, cujusque vim perniciosam vel in America, ubi hoc saculo exstitit, singuli tantum territorii incolae experti sunt, equidem per aliquot annos in America, nominatim in regione Carolinae septemtrionalis versatus, accuratius observandi opportunitatem nactus sum. Quare non actum quid me acturum arbitror, quum hunc morbum damnosum ac plerumque mortiferum, quam diligentissime potero, describere suscipiam.

DE ERYSIPELATE TYPHOSO.

Carolina sub gradu tricesimo quarto latitudinis septemtrionalis sita est; menses aestivi Julius, Augustus, September ab incolis existimantur calidissimum anni spatium et bonae valetudini maxime infestum, quare quavis aestate ab opulentioribus inhabitantium frequentissima et quasi condicta emigratio ad oras maritimas fit, ubi per hoc tempus in lingulis arenosis in mare projectis (Naxheads) considunt, unde exeunte mense Septembri vel demum Octobri in domicilia rustica redeunt. Tali modo febres intermittentes evitari opinantur, quae mense Augusto utique videntur creberrimae esse. Regio est aequa et plana maris littora versus et ex parte tantum, qua fines ad occidentem vergunt, ad Aleghani montem assurgit. Planities obsita est locis uliginosis iisque silvosis (swamps), quae imbribus dejectis sub aquam demerguntur; haec vero, quum apta emissaria non inveniat, solis ardore exhalatur. Ista sunt loca malariae, quae dicuntur. Oppidum Elisabethcity, prope fluvium ejusdem nominis situm, praecipue ubi ad septemtriones et ad occidentem spectat, ampla regione uliginosa, Dismal-swamp dicta definitur et a republica Virginia disjungitur. In nonnullis hujus terrae palustris et uliginosae coloniis morbus noster verno tempore anni 1845 primum erupit atque in praedia et oppida finitima summo cum terrore incolarum vim ejus mortiferam pertimescentium divulgatus est. Eo tempore, quo equidem

hunc morbum observabam, in eadem regione jam quintum emersit. Emersit, dico, ignorabant enim omnes, unde exstitisset; tota regio circumjacens eo, quo apparuit, tempore eujuscunque morbi epidemii expers erat, praesertim tam atrocis adeoque insignibus symptomatis distincti, ut nomen populare „Swellhead“ cuilibet morbi ignaro statim certum cognoscendi indicium obtulerit.

Hunc morbum, quoties post intervallum aliquod redierat, iterum iterumque ampliorem circuitum occupasse mihi per litteras traditum est. Quare eundem nostro jure endemium censendum putamus, quoniam commigrationes ejus hucusque certum tractum non sequebantur, sed ex originis sede in omnes partes circumsitas dirigebantur, quae partes quum omnes sint paludes et malariae territoria, hunc morbum malariae regionem hucusque nondum transgressum esse, ibique contagii germen alimenta et solum fertile reperire merito contendere nobis videmur. Morbi translationes quum recta via, ab infecto corpore in integrum, tum per res intercedentes vel homines valetudinem servantes, permultae numero demonstrari possunt. Contagium hujus morbi, quatenus efficacitas ejus diversa est in hominibus ad infectionem praedispositis et non praedispositis, maximam similitudinem habet cum febris scarlatinae contagio, ita tamen, ut illud minus crebro infantes et adolescentes quam adultos corripiat. Id unum profecto ultra dubitationem est positum, morbum nostrum in republica Carolina, ubi ad septemtriones spectat, originem cepisse et ejus regionis fines adhuc non longe excessisse ideoque endemium esse.

Cujus morbi si cum aliis aeque atrocibus, quos hic illic tanquam epidemios exstitisse rerum memoria docet, comparationem facere conamur, ignis Sct. Ignatii, qui morbus in Franco-Gallia ad meridiem vergente saeculo sexto decimo saeviit, propter exanthema impetusque vehementiam ei videtur simillimus; diversitas tamen in eo cernitur, quod

in isto aevi medii morbo non exanthematis durities, sed gangraena exorta est.

Qualem ego pestilentiam anno hujus saeculi quadragesimo octavo tempore verno in Carolinae septemtrionalis regione malaria dicta observavi et infra descripsi, secundum totam indolem atque naturam in ea morborum specie adnumeranda est, quam Schoenlein typhoidum nomine amplectitur. Sed ut natura huic morbo propria jam nomine ipso denotetur, aptior videtur appellatio typhus erysipelatodes quam erysipelas typhosum. Videbimus enim ex descriptione subsequente, exanthema continuum esse hujus typhoidis comitem, e contrario autem me quidem examinantem iisdem temporibus atque locis exanthema sine typhoide invenisse. Sed jam, antequam mihi contigit hujus morbi notitia, ab istarum regionum medicis erysipelas faciei malignum appellatus et a vulgo nomine „Swellhead“ denotatus est.

Quamquam morbi definitiones nullae sub adspectum meum venerunt, tamen eundem in commentariis medicorum Britanniae et Americae ut „erysipelas malignum epidemium“ et „Swellhead“ commemoratum inveni. Dr. Daniel Drake in opere suo (Systematik treatise on the principal diseases of the interior valley of North-America) erysipelatis epidemii conjunctionem cum febri intermittente maligno affert, qua nostrum morbum videtur indicare. In Europae epidemiis typhosis idem non accidit, ut typhus intermittentis naturam recipiat atque ita, quod ego quidem expertus sum, curationi aditum expeditiorem praebeat. Nunc vero ex mea ipsius experientia — observavi enim quinquaginta duos hujusmodi aegrotos, quo de numero non plus viginti et unum convaluisse doleo — et ex iis, quae sermonibus collegarum, Dr. Perkins, Dr. Warrock, Dr. Tillet de prioribus ejusdem morbi impetibus in eadem regione tempore verno annorum quadragesimi quinti, sexti et septimi ortis mecum communicata sunt, generalem morbi

imaginem depingere nonnullisque exemplis aegrotationum, quas ipse observavi, illustrare tentabo.

De coelo atque aere Carolinae septemtrionalis jam supra pauca adnotavi, quibus hic adjiciam, nostrum morbum usque ad hoc tempus nonnisi tempore verno inventum esse in aeris temperie, qua thermometrum viginti duos vel viginti septem gradus caloris secundum Réaumur per diem, noctu et horis matutinis ante solem orientem duos vel tres gradus frigoris ostendit, ubi mane et vesperi densae nebulae campos involvunt, ubi sub meridiem persaepe vel nubes tempestatem et tonitruum minantes contrahuntur, noctu contra sub coelo sideribus lucido radians lumen nocturnum a septemtrionibus ortum spectatur. Spatium temporis, in quo regnat hic morbus, inde a medio Januario usque ad medium Majum est constituendum; sedes amplectitur Carolinae septemtrionalis et Virginiae territoria malariae subjecta.

Stadium infectionis.

Prodromi aegrotationis modo diutius, modo minus diu antecedunt et certis sub conditionibus adeo octo vel quattuordecim diebus ante oriri possunt; praecipue animadvertuntur ex sensu quodam languoris membrorum; digiti saepius sanguine et tanquam spiritu videntur carere; aegri, etiamsi per diem vix cubiculum reliquerint, tamen ad vesperum lassitudinem queruntur immodicam, nominatim crura sibi deesse opinantur, quae manu tangentibus vulgo frigida et humida apparent. Insolitam propensionem ad somnum sentiunt et expergefacti molestiam, faucium siccitatem, languorem, rhachialgiam, inprimis in lumborum regione queruntur, quare aegrotis corpore erecto sedere sine adjumento vel fultura molestum fit. In sella igitur requiescunt, superiorem corporis partem cubitis in femora fulcientes, quo in habitu saepe faciei color cerasinus congestiones capitis indicat, aut retro reclinantur, quo statu os

et labra pallida, lurida vel sufflava spectantur. Animi affectus est morosus, non ad iracundiam, sed ad aegritudinem proclivis. Saepenumero capitis dolores jam diu praecedunt, qui ut pressus supra et in orbita, aut ut gravitas in occipite definiuntur. Post coenam aegroti frequenter de stomachi inflatione, de gustatu putido, amaro aut pultoso queruntur; interdum horis matutinis ante prandium vomitio biliosa accidit, nunquam vero post prandium. Lingua raro vehementer obducta est, sed plerumque pallidior quam vulgo apparet. Oculorum acies est languida, visus tanquam caligine obtectus; membrana mucosa narium catarrhaliter affecta apud incolas nigros et versicolores, apud albos exsiccata. Intestini recti obstructiones fere semper adsunt, venter tactus tumorem nullum sentire sinit, interdum autem hepar vel splen morbose inflata sunt. Urina modo pallida, modo colore subviridi tincta. Quo propius ipsius morbi impetum hi prodromi procedunt, eo acutius exsurgunt; nominatim summa percipitur pulsationis anomalia, nam modo pulsus pleni segniter, modo duri velociter repetuntur, immo crebro singulis horis variantur. Horripilationes et inspirationis oppressiones intercedunt; patientes iterum iterumque suspirant atque gemunt, usque dum ipse morbus prorumpit. Ejusmodi accessus antecedentes nunquam non animadvertuntur, sed in aliis distinctius ob oculos cadunt et breve tantum tempus, saepe non plus quam viginti quattuor horas perdurant, in aliis minus aperte percipiuntur atque per incertum temporis spatium continuantur.

Si typhum in tria stadia septenis diebus disjungimus — id quod apte et cum natura ejus convenienter facere nobis licet — et prodromorum stadium, quod idem infectionis stadium appellari potest, omittimus, exanthema semper typhum comitans respicientibus nobis statim tres varietates notabiles sunt propter momenta, quibus exanthema nascitur, insignes.

1. Exanthematis ortus cum primo typhi accessu coincidit, ergo in stadio primo adest.

2. Exanthema perspicuum fit altero stadio typhi nervosi incipiente.

3. Exanthema stadii primi simul cum ineunte typhi stadio secundo in alterum faciei latus transit ac pars prius infecta remanet indurata.

I. Stadium primum seu irritationis.

Quaecunque trium varietatum intercessit, idem est, in altera solum exanthema non exstat.

1. Symptomata stadii primi febrilia. Horripilationibus antegressis vulgo horis promeridianis frigus febrile, totum corpus percutiens incidit, cum vagantibus spinae doloribus, tum in cervicis, tum in lumborum sede perstantibus et cum prementibus occipitis doloribus conjunctum. Cutis est pallida, frigida et in extremitatibus horrorem cuti anserinae similem ostendit; ungues et labia violaceum induunt colorem. Hoc frigus sesquihoram vel duas duasve et dimidiam perdurat, per quod spatium arteriae pulsus tenues, sed accelerati sentiuntur. Tum ardor vehemens cum cutis calore mordace ingreditur, pulsus ictus adeo accelerantur, ut in prima tertiaque varietate centum et decem, immo centum et viginti, in secunda octoginta quinque, immo nonaginta quinque modo plenos, modo duros numerare possis. Accrescit is ardor usque ad mediam noctem et horis matutinis, quamdiu exanthema non jam apparuit, parcam tantum remissionem animadvertere sinit. Haec febris cum pulsus frequentia ab octoginta quinque ad centum ictus, cum remissionibus suis per horas matutinas et exacerbationibus per vespertinas etiam post prognatum exanthema septem dies persistit.

2. Symptomata psychica. Capitis dolor se manifestat plurimis in casibus tanquam occipitis pressus obtusus, qui aegrotos remissionis potius quam exacerbationis

tempore cruciat. Interdum turbidi pedum motus, in stadii primi spatio saepius spasmi surarum, neque minus saepe dolores vagantes, qui per spinae longitudinem in crura eradiant. Mentis inertia, actionum omnium, quae musculorum motus requirunt, molestia et difficultas, animi dispositio morosa atque demissa, cum tristi apathia erga homines et res circumdantes juncta, praesertim extremis hujus stadii diebus exoriuntur.

Intermixta et quasi confusa sunt somnus et vigilatio, ita ut aegrotus ingenio hebeti atque obtuso sedens dormire videatur, dormiens contra somniis crucietur, brachia in lectulo huc illuc jactet, oculos late aperiat, etiamsi nullam neque sui neque rerum externarum habeat conscientiam.

In hoc stadio morbus saepe naturam versatilem ostendit, ita ut habitus exaltationis animi praevaleat; saepius vero jam hic ad torporem comparet proclivitas, quam sequitur coma vigil. Antequam enascitur exanthema, patiens iteratis temporibus subito terrore e somno excitari et somniare solet, quasi ex sublimi decidat, vinctus sit et similia. Agitatae locutiones per somnum crebro, minus crebro deliria furibunda occurrunt, saepius aegri sonos abruptos edunt.

De sensuum organis eorumque habitu subjectivo et objectivo haec adnotanda sunt. Oculus per horas matutinas languidum et somnolentum adspectum habet, conjunctiva saepe laxata et sanguine injecta, pupilla ab initio hujus stadii cum difficultate mobilis, ad finem contracta reperitur.

Auribus aegrotus ictus, susurros, strepitus, tinnitus singulosque sonos percipere sibi videtur.

Olfactus symptomata aegrotationis subjectivae nulla offert. Membrana mucosa narium aliter affecta est in hominum genere Caucasico, aliter in Aethiopico. Illorum membrana plerumque sicca, horum saepius inflammatione rubefacta cernitur.

Gustatus vulgo est amarus aut pultosus, raro putidus. Linguam ipsam ad apicem et margines rubefactam, in planitie superiori obductam et albi vel sufflavi coloris videmus. Oris membrana mucosa ardens et soluta est, crebro etiam salivatio copiosa accedit.

Faciei lineamenta et vultum, quatenus animi motus exprimit, propter exanthema non licet dignoscere.

3. Symptomata exanthematica. Prima exanthematis indicia exstant viginti quattuor, triginta sex, adeo quadraginta octo horis post accessum frigoris quassantis, principio in limite intra cutem et membranam mucosam, in angulis oris, in labro superiori vel inferiori, ad latera narium, rarius ad extremas aurium cavernas, saepius in latere dextro quam in sinistro. Prodeunt sub forma maculae rotundae, ab initio planae, colore fulvae, quae in eo, quod occupavit, faciei latere procrescit et ruborem suum diffusum, fere nunquam circumscriptum expandit. Primum exsurgit calidus tumor oedematosus et rubor ambitu auctus sub cute sitam texturam cellulosam et panniculum adiposum afficit; quo magis fulvus color in badium transit, eo magis occalescit tumor, quem si digito premis, simili modo affectum te sentis, quasi sacculum arena fervente impletum premas. Tumor, qui primis diebus fere elasticus impressionibus cessit, nunc digito prementi superficiei planum paene aliquantulum cedere permittit; tenuis impressus, statim post colore albo tinctus, mox badium recipit colorem. Occalescente tumore glandulae salivales et lymphaticae in faucibus et cervice compatiuntur, corripiuntur tumore et copiosa oritur salivatio. Exanthema, postquam frontem, aurem, occiput occupavit, supra maxillam inferiorem ad collum descendit, nunquam vero nares vel mentum transgreditur in alterum latus; nihilominus praeter occipitium excedit, id quod semper accidit in varietate tertia.

Exanthema tres vel sex dies accrescit, nec raro adeo

rapide augetur, ut jam in primo hoc stadio ab occipite et cervice latius diffusum et ad alterum faciei latus transgressum faciem totumque caput omnibus partibus totoque ambitu extendat atque deformet, quod nomine populari „*Swellhead*“ apte significatur. In hoc stadio nonnunquam tribus diebus post morbi originem pustulae lympha transparente impletae in summo exanthemate exsurgunt, sed in plerisque casibus hujus generis nullae observantur. Quum vero non animadversae sunt triduo primo, tempore postero neutiquam exoriuntur.

Ubi statim ab origine circumscriptum est exanthema, infra cutem indurationis processum celerius persequitur quam supra et febris statim naturam torporis assumit; in forma contra pustulosa et diffusa febris plerumque erethicam exhibet naturam. In hoc morbo exanthema nunquam alias corporis partes afficit nisi faciem, unde ad capillatam capitis partem, interdum etiam ad collum et cervicem diffunditur.

Quare hoc stadium etiam florescentis exanthematis stadium nuncupari potest, quod saepe in alterum typhoidis stadium coincidere et sic semper torporis indicia manifestare recte contendimus.

Desquamatio in hoc stadio non animadvertitur. Intestini functiones plerumque normales, passim alvus adstricta, passim, sed rarius soluta.

II. Stadium alterum sive nervosum.

1. Febris, in stadio primo potius erethica, nunc jam torpida fit. Ubi prius nondum aderat exanthema, incipiente hoc stadio se indicat respiratione gravata et pectoris oppressione. Accidunt horripilationes cum minutis, duris, vehementer acceleratis pulsus ictibus, sed bis vel ter mutantur cum calore volante; tum congestiones ad caput existunt, saepe intenso rubore violaceo vel cerasino dignoscendae. Pulsus plenior fit centumque et vi-

ginti ictus facit. Rubor quattuor fere horis post e facie recedit et ad nares vel ad os maculam fulvam, plerumque circumscriptam, parvulae monetae magnitudine similem relinquit. Simili modo febris se habet, ubi exanthema jam exstans in alterum faciei latus diffunditur. Aeque per septem dies leves tantum aut nullas remissiones horis matutinis facit; pulsus durior et acceleratior quam in stadio primo, ictus numerantur centum et quinque vel centum et viginti. Cutis calorem patitur mordacem, aegris siti vehemente cruciatis, simul laxa et flaccida est minorique utitur elasticitate.

2. Symptomata psychica. Aegroti non amplius queruntur, sopore oppressi jacent, tacite et sine vehementia delirant, quodcunque circa eos agitur, ipsis indifferens est. Observanti jam universalis virium collapsus dignoscitur; coma vigil nunquam cedit nisi causa externa interruptum; aegri expergefacti et compellati vel imperfecte et confuse, vel omnino non respondent. Continua existunt deliria mussitantia, perraro tantum lucidis intervallis interrupta. Exeunte hac altera septem dierum periodo saepenumero somnus profundus cum roncho incidit; patientes semper supini cubant, neque unquam hanc positionem mutant, sed ad infimum lectum delabi amant. Pupilla isto tempore fere semper dilatata apparet; fissurae palpebrarum, nisi exanthematis tumore clausae sint, vel per coma soporosum semiapertae manent et albugines oculi ostendunt, quia pupillae semper sursum se movere student. Cornea plerumque languida cernitur.

Sensuum aucta irritabilitas, quae primo in stadio utique percipitur, in altero omnino abest, quippe cessit stupori.

Vultus, jam per se tumore deformis, haud raro etiam aliud symptoma recipit, plerumque exitum letalem indicans et horribili modo turpans: os apertum dico, dum

masseteres fungi non valent officio suo et maxilla inferior suam gravitatem sequens deorsum pendet.

Nares pigmento fuliginose nigro refertae, labra sicca, corticosa, fusci coloris, gingiva et dentes muco tenaci flavi coloris obducta. Ubi glandulae salivales ac potissimum parotis vehementer inflatae, vulgo etiam multa salivatio adest, quae, quoniam supinus jacet patiens, aegre defluit et maximam partem in fauces delabitur.

Linguae motus difficilis, in movendi conatu tremit, vulgo sicca, tangenti calida et tanquam cortice fusco obducta sentitur; crassum hoc indumentum saepe rimosum fit; si removetur, lingua colore badia et tactu glutinosa sentitur, brevi autem siccatur et fuscum corticem recipit. Glutitio fit molesta et si tonsillae simul tumidae sunt, liquores, quos forte sorbere conatur patiens, per nares ejiciuntur.

3. Symptomata gastrica. Ubi in stadio primo pressionem ventris variis in locis ac nominatim in regione coecali factam irritatus doloris sensus insequitur, plurimum jam intestini gasis inflatio adest, quare tympanica convexitas, praecipue in coli exitu, propter diaphragma superne protrusum, pulmonum compressionem et dyspnoeam frequenter mortis prope instantis prodromus est. Cucuritio et grunnitus intestinorum, tantum non semper auditus, adest. Percussione splenis expansionem sentimus et sonum clarum, inprimis in regione hypogastrica dextra. Diarrhoea accedit, cujus ope fluidum dilutum crocino colore cum raris solutisque massis faecalibus evacuatur; interdum in vicem ejus intrat obstructio; crebro excrementa diluta sunt et fusco colore tincta; frequenter massae nigrae et piceae antegressam haemorrhagiam intestinorum indicant.

4. Symptomata exanthematica. In hoc stadio exanthema fulvo colore tinctum spectatur. Si in primo jam plenum ambitum suum occupavit — quod ac-

cidit, ubi solummodo alterum faciei latus invasit, aut etiam jam priori in stadio alterum infecit — in hac periodo desquamatio et tumoris deminutio praecipue in oedematosis ejus confiniis ad oculos et ad labra incipit.

Quodsi vero hoc demum in stadio secundum latus exanthemate investitur, in latere prius infestato nulla tumoris imminutio neque desquamatio percipi potest.

At si hoc in stadio primum se manifestat exanthema, color ejus statim ab initio non adeo clare tinctus est, neque diffusum, sed circumscriptum et lutei coloris adspectui se offert; oedematosa circumscriptio prorsus abest, quapropter in ipso ortu planum potius videtur, statim tamen infectum cutis locum induratum et crassiorem ostendit. Pari modo exanthema in stadio primo editum etiam in sequente per alterum faciei latus diffusione se habet; prius correptum semper vehementius inflatum est.

Ubi exanthema in stadio primo pustulas progenuit, hae nunc jam diruptae frustula flava relinquunt, quibus remotis vulneris planities mucosa et raro colore tincta conspicitur, interdum globulis purulentis circumdata. Sed in superficie tantum haec macula haeret, neque intro penetrat, quamobrem margo circumdans minus distinguitur.

In hoc stadio, quantum equidem observavi, pustulae in exanthemate non exsurgunt, neque in recenter oriente, nec in latius propagato. Exanthematis habitus morbi exitum, aut mortem aut convalescentiam, constituit.

III. Stadium sudorificum sive stadium criseos.

Cutis et membranae mucosae humescunt, lingua purgatur. Post cutis turgescentiam saepius clare percipiendam, quando pulsus duritie minutus undulosum nobis exhibet tactum, in tota corporis superficie sudores erumpunt, qui per diem et noctem, nonnullis tantummodo horis ante meridiem intermittentes, continuantur. Undulati pulsus frequentia sensim sensimque minuitur et ad octoginta

quinque vel octoginta ictus redit. Excretiones urinae, in stadiis antegressis plerumque alcalicae vel neutralis, jam valde acide reagunt et sedimenta mucosa faciunt, tum sufflavo, tum rubro subalbicante colore tincta. Interdum pulsus ante ortos sudores intermissiones offert, post quinos, septenos vel novenos ictus repetitas. Talis pulsus, qualem etiam in navibus apud homines typho petechiali affectos et in typho abdominali exploravi, semper mihi certum revalescentiae prognosticon fuit. Saepe febris hoc in stadio intermittentis naturam induit, frigore eam non comitante. Pulsus per horas matutinas minus septuaginta quinque vel decem ictibus augetur. In tali habitu miliaria incedere amat, quin immo vibices et petechiae; si illud accidit, sudores profuse hydrodes, sin hoc, tenaces fiunt et cutis refrigescit.

Crisin quandam psychicam habere licet intrantem somnum continuum, non interruptum, in quo aeger profunde respirat et palpebras, si ante semiapertae fuerunt, arcte claudit. Deliria desinunt, paulatim redit conscientia, sed diligentior observatio et curá sui rerumque circumdantium vicesimo demum et primo die post.

Tum modo, quando exanthema duritie et ambitu decrescere et desquamatio procedere coepit, in hoc stadio curatio speranda est; autem exanthema immutatum atque durum permanet, ibi petechiae et vibices nascuntur, sugillationes sub cute — quas in ipsis locis exanthemate infectis equidem nunquam vidi — haemorrhagiae narium cum sanguine coloris nigricantis, ex intestino recto similes evacuationes sequuntur, ut prodromi mortis appropinquantis.

DIAGNOSIS.

In omnibus hujus morbi processibus vix ulla potest cum alio morbo permutatio fieri, nisi quis forte, exanthemate in prorsus singulari processu, quem facit, neglecto, ad solas petechias interdum exstantes animum advertere

velit, ut omnem processum definiat typhum petechialem: id quod medico sano nunquam in mentem veniet, praesertim quum in dies aucta vultus deformitate oculos atque animum ad procrescens exanthema conjicere cogatur.

E primis prodromis dignoscere morbum difficile est, immo vix fieri posset, nisi morbi frequentia et tempus anni vernum, quo incidit, locus denique (malariae regiones) enascentis erysipelatis suspicionem excitarent, eo fere certissimam redditam, quod talium aegrotorum diligentiore tractatione symptomata ut infectione exorta cognoscere licet.

In stadio primo, ubi nondum comparuit exanthema, medicus opinari potest, febrem se gastrico-biliosam spectare. At virium prostratio et tenuis tantum linguae obductio gastrica, consociatae cum vehementibus symptomatis febrilibus dubitationem removebunt; mox exanthemate prognato examinans fortasse erysipelas vulgare indicatum putabit, usque quoad mox secuta affectae cutis induratio errores patefaciet.

Altero in stadio accidere potest, ut morbus cum encephalitide confundatur; etenim si quis, ubi exanthema jam exstat, tunicas cerebri simul affectione inflammatoria compati opinatur, nullam subit vituperationem, neque ullum in tractatione symptomatica incommodum afferet. At si exanthema in hoc demum stadio oritur, prope adest suspicio, typhum cum parotitide (cujus exitum in gangraenam progrediente typhi processu medici etiam in aliis regionibus observarunt) ante oculos esse. Sed si exanthematis ortum respicimus, is error tum modo excusationem habet, ubi e meatu auditorio externo originem ducit exanthema, quod quidem nonnisi raro accidere solet; sin, quod vulgo fit, ad nares vel labra exstat, parotis postea demum corripitur. Praeterea salivatio in nostro morbo, etsi calomel nullum ante adhibitum est, frequentissima prorsus deest in parotitide.

Febrilia nostri morbi symptomata eadem sunt atque typhi; in stadio primo est typho cerebrali similior, abdominali in altero, quin in tertio demum saepe petechiali.

Exanthematis natura primis diebus, ac praesertim ubi pustulae surgunt, prorsus eadem est atque erysipelatis faciei; posteris diebus, ubi cutis et subjacentis texturae cellulosae induratio visibilis fit, pseudo-erysipelati vel erysipelati neonatorum similior. Neonatus hoc morbo infectos equidem non vidi. E symptomatum expositione hic facta nomen erysipelatis typhosi, primae et secundae varietati injunctum, et tertiae nomen typhi erysipelatodis jure adhibita et probata videbuntur, quandoquidem haec denominatio nihil ultra exprimere debet quam certum morbi, quod attinet exanthema, characterem.

EXITUS.

Exempla adhuc observata crebrius mors secuta est quam convalescentia, perraro tantum convalescentia imperfecta.

Exitus in mortem. Mors persaepe accidit sub finem stadii primi, in transitu septimi diei in octavum; sed etiam tertius vel quintus dies jam letales inveniebantur. Ubi mors ingruit intra diem septimum et octavum, per apoplexiam cerebralem accidit, quum aegri simul plethora cruciarentur. Obierunt autem, et quorum alterutrum modo faciei latus, et quorum ambo latera infecta erant.

In stadio secundo mors erat frequentissima, idque nono, tertio decimo die et in transitu quarti decimi in quintum; nono et tertio decimo per trismum et tetanum apud homines nigros, nono et intra quartum et quintum decimum diem apud albos per apoplexiam pulmonum et auctam adynamiam. Mortis prodromi sunt oculi natantes, nares primores albescunt et exacutae prominent, sudor glutinosus in brachiis et in pectore prodit, respiratio brevis fit atque gemens; maxilla inferior dependet et os,

lingua crassa et corticosa impletum, late apertum est. Extremitates refrigescunt, pulsus tremulus et minutus premendo facili negotio removendus; flocculos carpere incipit aegrotus, venter tympanice inflatur.

Stadium tertium rarius morte finitur, sed ubi incidit, plerumque fit die decimo nono per massae sanguinis excretiones. Antecedunt sugillationes, petechiae et vibices, sanguinis e naribus et auribus vel ex ano profusiones. Symptomata similia sunt stadio secundo, nominatim sudores glutinosi et frigidae extremitates; musculorum masticatoriorum paralysi vita aufugit.

Exitus in convalescentiam. Quum ejusmodi specimina erysipelatis hujus simul cum nostro morbo grassante obvia, in quibus exanthematis dilatatione impedita omnino nulla febris typhosa evenerit, isti generi adnumerare non liceat, quoniam sic ne nomini quidem morbi jus suum vindicaretur: id pro certo affirmare possum, me nunquam revalescentiam contingere vidisse, nisi post peracta omnia tria hujus morbi stadia, ergo post diem vicesimum primum, ubi finitis sudoribus criticis conscientia et rerum circumdantium animadversio et studium debilitatis rediit.

Octo vel quattuordecim diebus post restitutorum vires augentur eodemque tempor ecrines excidunt, brevi autem recentibus supplentur.

Revalescentia particularis. Unum quidem exemplum ego compertum habeo, ubi faciei cutis, elasticitate amissa, paralytice complicata tanquam genae sacculus praeter collum dependebat; alia vero morbi symptomata nulla erant relicta.

AETIOLOGIA.

Ad aetatem hominum hoc morbo correptorum quod attinet, egomet ipse observavi infectos intra annum aetatis septimum decimum et quinquagesimum sextum; at etiam

non adultos, duodecim annos natos affici mihi relatum est. Creberrime homines aetatis mediae, intra vicesimum et quadragesimum annum tentantur, atque morbosi et infirmi minus saepe quam robusti et vigenti valetudine gaudentes. Quomodo respectu sexus hic morbus se habeat, equidem decernere non audeo. Indagationes hac de re institutae ad fidem quandam aestimationem non perduxerunt. Quod ad origines hominum spectat, species Caucasica morbo nostro videtur prae Mulattis exposita, Mulatti prae nigris, quamquam etiam postremi nullo modo exemti sunt. Computando fortasse ratio mutua statuenda est viginti ad quindecim et ad decem. Si nigri tentantur, morbus propter trismum et tetanum vulgo letalis fit, quod equidem neque in albis neque in versicoloribus unquam observavi. Quod ad animi moderationem pertinet, cholerica potissimum est praedisposita; neque tamen aliter moderati manent intacti.

Circa diaetam homines ruri degentes et opera rustica perficientes malo nostro inprimis videntur obnoxii esse. Metus et horror, stomachus, ira et sollicitudo, diaetae et loci commutationes praedisponunt et morbi accessum expediunt.

Quum inde ab anno quadragesimo quinto hujus saeculi in malariae regione endemius evaserit morbus et perpetuo abhinc eodem anni tempore effloruerit, propria ac singularis constitutio atmosphaerica, procreationi, evolutioni et iterationi hujus mali favens, pro certo videtur statuenda. In ea regione ibique illo tempore enascitur, ubi rapidissima est frigoris et caloris vicissitudo, ubi oriente sole spissae nebulae e solo extricantur, cujus aquas stagnantes exhalatione diurna ardor solis absumit. Postquam interdiu in solis calore viginti octo gradus secundum Réaumur observati sunt, post occasum horrores incidunt nocturni, adeo violentam refrigerationem efficientes, ut thermometrum mane ante solis ortum duos vel tres gradus frigoris ostendat et sol oriens pruinam in campis tectisque haerentem

liquefaciat. Aer animali et vegetabili putrescentia damnosisque effluviis copiose praegnatur.

Neque praetermittenda est diaeta inhabitantium. Agricola et tota ejus familia hoc tempore nonnisi porcina salita vescuntur, quae interdum, animalibus in temperie nimis calida mactatis, jam antequam salem recepit, in putredinem abire coepit; cui alimento nihil additur nisi panis ex zea praeparatus. Habitationum compagines male junctae sunt, ita ut soli evaporationibus per rimas assium in conclavia intrandi plena potestas detur. Nonnulli medici haud immerito, si quid judicem, suspicantur, typhi petechialis in navibus grassantis originem carni salitae semiputidae potius quam atmosphaerae corruptae adscribendam esse, atque haud scio, an noster morbus partim ad eandem originem revocandus sit.

Symptomata pathologico-anatomica.

Raro tantum contigit mihi, ut cadavera eorum, qui huic morbo succubuerant, secare possem. Quae hic exponam, ea hausta sunt e duorum nigrorum et unius versicoloris sectionibus. Alborum cadavera secare mihi non concessum est.

Cadaveris habitus. Ubi mors stadio secundo exeunte aut tertio ingruit, cadaver valde maceratum invenitur, sanguinis fere expers et siccum; infiltrationes serosae in capite, in cavo thoracis et in abdominali, sed in illo dumtaxat tantae, ut interitus causae possint existimari. Rigor cadaveris non ultra diem secundum post obitum duravit, quo desinente protinus putrescentiae indicia accesserunt, singulari odore dulciculo insignia.

Exanthema. In faciei cute infecta, postquam epidermis detracta est, rete Malpighii quasi massa mucosa plus minusve frustulosa apparet; corii textura intersecta, spissa atque tenuis est et cum tela cellulosa, tanquam sufflava vel subrubra massa substrata, tam arcte cohaeret,

ut aegre tantum ab illa separari possit. Si abrumpitur corium, frustum spissae hujus telae cellulosae affixum haeret. Si comprimis eam texturam, massa rubicundo colore opali tincta et gelatinosa emanat, texturam coactilem maculis insertis relinquens. Haec massa cellulosa morbosa et hypertrophica, saepe digiti transversi modum crassitudine excedens, in interstitia musculorum, parotidis, glandularum submaxillaris et sublingualis penetrat. Panniculus adiposus sub cute caret adipe, sparsim solum singuli globuli adiposi colore sufflavo reperiuntur. Novorum vasorum formationes discernere non potui, oris et faucium membranam mucosam convolutam facili negotio absolvere licuit. Narium membrana contra arcte adhaerens neque solubilis.

Cavum cranii conditionem hyperaemicam in dura matre et pia matre prae se fert; inter utrasque tunicas serum subrubrum est animadversum. Membrana arachnoidea in vicinitate chiasmatis nervorum opticorum et fossae Sylvii hypertrophica; in ventriculis cerebri serum copiosum repertum.

Massae cerebralis mollitiones vel alias abnormitates haud potui detegere; modo in plano interstitionis copiosae maculae haematodes substantiae medullaris apparuerunt.

Medullae spinalis vascula venosa nigricante sanguine violaceo conferta turgebant; neque supra meningem largum deerat exsudatum serosum. In ipsa medulla pathologicas mutationes nullas reperire potui. Sympathicus in gangliis suis firmus est visus, plexus solaris amplus et rubefactus.

Systematis vasorum et sanguinis mutationes. Pericardium vulgo vel majorem vel minorem seri copiam continet. Cor ipsum est decolor, musculatura ejus languida, consistentia solutior. In majorum vasorum aortae et arteriae pulmonalis membranis rubefactio nulla conspici potuit. Sanguis minutam habet substantiae fibrinae quan-

titatem et tenaciter fluidus, glutinosus, niger vel violaceus apparet; serum aut turbide fuscum aut rubrum.

In bronchiorum membrana mucosa haematostasis cernitur, bronchia ipsa impleta sunt muco tenaci. Pulmonum partes posteriores et inferiores dissectae texturam videre sinunt nigricante sanguine redundantem, splenis texturae non dissimilem. Exsudatum serosum in pleurae sacculis inest.

Stomachi et intestini canales decolores maculas fuscas, diametri longitudine variantes ostendunt; etiam sub membrana mucosa sanguinis extravasata exstant; hyperaemiae circa glandulas Peyerianas in intestino tenui aperte sese manifestant. Vera ulcera et excoriationes non dignoscendae in paucis illis cadaveribus, quorum obductionem feci.

Glandulae mesenteriales semper hyperaemice tumidae videbantur, modo pallidae, modo rubidae, magnitudine a nuce avellana ad ovum columbinum variantes et frustulosis massis cineraceis infiltratae.

In peritonaeo reperitur exsudatum serosum.

Hepar venae portarum sanguine refertum cernitur, color hepaticus, crassitudinis diametrus longior. Parenchyma colore nigricante tinctum, ex intersectionis plano serum haematodes emanat atque maculae sufflavae praecipue ad planitiem superiorem versus cognoscuntur. Vena portarum ipsa sanguine nigricante vehementer conferta.

Splen in textura nigricante violacea permollis facilique negotio discerpendus. Quatenus morbosa fuerit splenis amplitudo, equidem definire non audeo; jam enim commemoravi, nigrorum tantum et versicolorum sectiones a me factas esse, quae hominum species etiam habitu sano magnitudine splenis excellunt.

Musculorum textura ubique pallide rubra, in tegumentis abdominalibus rava et facile rumpenda inventa.

Priusquam autem ad morbi nostri prognosin atque

curationem explicandam aggredior, liceat mihi, ad datam ejus indolem illustrandam, nonnullorum aegrotorum historias narrare.

I. Matrona Nash, quadraginta quattuor annos nata, jam anno aetatis decimo et octavo baptistarum ministro sacro Nash nupta et a teneris vigente, neque ullis morbis turbata valetudine gavisa, postquam tres partus edidit suisque aluit uberibus, vicesimo tertio aetatis anno febri auctumnali, in regione, ubi habitabat, endemia, correpta est, cujus natura erat gastrica et remittens. Post dierum quattuordecim processum morbus in valetudinem transiit, relicta infirmitas mox desiit, immo corpus accrevit pinguetudine. Abhinc complures anni praeterlapsi sunt, antequam denuo concepit et processu regulari puerulum peperit, cui non minus quam octo menses mammas dedit; filiolam biennio post natam non amplius quam sex menses nutrire potuit, quum nutriendi negotium intercedente febri intermittente quotidiana turbaretur, quae post varia intervalla postremo in quartanam mutata copiose adhibito cortici Peruviano restitit, tandem vero, sex mensibus post, aegrotam macie egregia confectam dimisit. Ex illo tempore neuralgici capitis dolores et dentium cum maxillarium dentium carie incesserunt. Ante accessum hujus morbi septem fere annos valetudinis non turbatae et nonnisi hemicrania per biduum vel triduum interruptae numerare licet. Catamenia jam vitae anno duodecimo oborta substiterunt anno quadragesimo primo, postquam extremo tempore ampliores haemorrhagias uterinas effecerunt. Quibus finitis corporis obesitas rediit, et quo tempore ego feminam novi — quattuor fere hebdomadibus ante aggressum morbi nostri — visa mihi est statura media, obeso corpore, sufflavo, non morboso colore, oculis caesiis, crinibus flavis, canitie intermixtis, vegeto et alacri animo, natura sanguinico-cholerica. Panniculus adiposus erat in facie, genis

et collo valde excultus, faciei formatio aequa et congrua typo Caucasico respondebat.

E liberorum numero tunc duas puellas tantum superstites inveni, quippe duo pueri totidemque puellae vere anni quadragesimi quinti in quattuor hebdomadum spatio erysipelati succubuerant. Puellarum superstitum habitus erat scrophulosus.

Die decimo mensis Aprilis mater, postquam mane res molesta quaedam stomachum ejus excitavit, post prandium tertia hora pomeridiana frigore vehementer quassante correpta est; successerunt calor et sitis immodica noctu, inquies exstitit eximia, mane labrum superius rubefactum et modice tumidum. Quum die undecimo ejusdem mensis mane circa horam decimam primum conspicerem aegrotam, dextram labri partem rufo tumore paululum elastico affectam reperi; pressioni cessit color, sed mox rediit. Rufa macula circumscripta, ambitu monetae similis, quam Germani „Thaler“ appellant. Patiens magna cum alacritate, immo vehementia prioris irae ac sollicitudinis causam enarravit, ei ortum aegrotationis adscribens. Omnium membrorum relaxationem se sensisse et prandium, pernam assam, brassicam et panem ex zea coctum non comedisse dixit consueto cum appetitu; ructus iteratos se fecisse, donec frigoris accessus a modico spasmo humerorum et coxarum ad vehementem corporis quassationem cum crepitu dentium et occipitis doloribus progressus sit. Per irritationem mechanicam vomitum elicere se tentasse, sed nihil nisi suffocantem liquoris mucosi ejectionem successisse. Frigus usque ad mediam horam septimam vespertinam constitisse, tum calorem intercessisse et somnum, sed per somnium semper ex alto decidere sibi visam et pluries terrore expergefactam esse. Sub mediam noctem aucta sollicitudine somnum omnino aufugisse, simul accessisse sitim vehementem, quum aqua vivo e fonte hausta sedare frustra tentaverit. Haec narrans aegrota in lecto expedite

se erexit, neque multum orationis sonus dicendique ratio ab habitu consueto differebant. Motus singularis, quo palpebras displodebat et varias res circumjacentes contemplabatur, febrilem prodebant conditionem, quam insuper pulsus nonaginta vel centum ictus faciens confirmavit. Universalis feminae adspectus atque habitus respondebat incipienti erysipelati faciei, persaepe et in Europa et in America, potissimum aestate in calore humido et tensione electrica orienti. Ejus morbi typus, cujus malignitatem letalem familia jam experta erat, familiaribus anxietatem et metum injecerat, quibus ne patiens aeque afficeretur, verebar, praesertim quum omnium rerum, quae circa eam agerentur, sensum solito plus vegetum atque capacem ostenderet.

Statura ejus brevis et obesa in corporis evolutione teneram ossium structuram et fere languidam musculaturam obtulit, aridos crines, cutem siccam et pastosam, tactu calidam. Oculus nitore febrili radians magnam manifestabat irritabilitatem et mobilitatem pupillae, neque tamen ullius membranae inflammationem indicabat. Nares siccae, os tumore isto distortum, labra autem rubro colore normali tincta; calvaria ex longo rotunda, collum breve. Inspiratio et exspiratio acceleratiores erant, at neque musculi abdominales majorem hujus negotii partem, nec narium alae, quam solent, capescere videbantur. Pulsus plenus et frequens, nonaginta vel centum ictus edens. Ubi erecta sedebat patiens, cordis pulsatio valde sensibilis; ubi jacebat, omnino non percipienda erat. Se nocte priori, quoties expergefacta sit, vehementes cordis palpitationes sensisse narrabat. Lingua tenuem obductionem albidam, in radicis propinquitate crassiorem, sufflavi coloris ostendebat, expedite protendi poterat, tactu erat humida et calida, neque tamen tenax. Gingiva normalis, odor ex ore nullus. Gustatus pultosus, sitis noctu vehementior quam me praesente, deglutitio facilis, dolor in abdomine nullus nec in

stomacho neque in splenis aut hepatis regione; modica splenis amplificatio pericipi poterat. Evacuatio consecuta erat mane, faeces fusci erant coloris et compactae; urina flammea in charta crotone tincta paululum acide reagebat. In glandulis lymphaticis et salivalibus tumorem sentire non potui.

Emeticum ex ipecacuanha pulverisatum jam ante meridiem dedi. Sorbendum commendavi cremorem oryzae et si forte sitis nimium cruciaret, aquam ex fonte vivo potare permisi.

Hora IX. vespertina. Emeticum largam excretionem viride biliosam cum massis mucosis et fibrinis effecerat. Femina in somnum placidum inciderat et qui praesentes fuerant, sudoris guttas in fronte se percepisse opinati sunt. Aegrota se sine molestia vomuisse narravit, sed adhuc languorem sentire et gustatum amarum in ore servare; sitis non aderat. Tumor cum rubore jam trans dextram nasi alam et genam dextram diffusus sensum tensionis movit. Pulsus paene nonaginta ictus fecit, cutis temperatura in extremitatibus calida et sicca.

Diei XI. mensis Aprilis hora VIII. matutina. Aegra nonnullas horas dormitaverat, inquietem minorem quam nocte priori passa. Exanthema jam tetigit palpebram inferiorem, quae oedematose tumet. Rubor pressioni digiti cedit, elasticitas tumoris minuta, quanquam impressus digito factus mox evanescit. Pulsus ictus nonaginta vel nonaginta quinque numerantur. Lingua est magis quam ante obducta, ad radicem fusca. Aegrota caput obtusum et dextram genam intensam queritur; per noctem multum aquae frigidae bibit, appetitum non sentit, gustatus pultosus potius quam amarus; excretio alvi non amplius secuta. Remedium proposui infus. sennae e $\bar{z}$iβ paratum, $\bar{z}$v cum natr. sulphuric. ʒvi, ternis horis cochlear cibarium. Tumor erioxylo crudo obtegitur.

Hora VIII. vespertina. Tres evacuationes faeculen-

tae sunt factae; exanthema usque ad aurem progressum, concha auricularis rubefacta intumescere coepit; genae tumor adstrictior, rubor digito prementi cedit. Aegrota nunc primum aurium sonitum queritur. Tumoris tensio et capitis obtusio auctae; oculi candelarum lucem aegre ferunt, pupilla modice reagit, conjunctiva oculi dextri nonnihil rubefacta. Pulsus frequentia est centum et quinque ictuum. Dedi aegrotae ammonii acetici ʒii in aq. solut. ʒv, ternis vel binis horis cochlear cibarium.

Diei XII. mensis Aprilis hora VIII. matutina. Dormivit patiens tempore matutino cum intervallis, cutis calida et humida attingitur, pulsus frequentia decrevit, non plus octoginta ictus faciens. Exanthema occiput et collum invasit, rubor ejus saturatior, digito prementi elasticitatis expers resistit. Labia oedematose efflata, oculus dexter propter palpebrarum oedema arcte clausus; lingua ad latera intense rubra, oris cavum saliva tenaci impletum. Potus refrigerantis desiderium per noctem non ita magnum exstiterat. Oculi sinistri pupilla contra lucem reagit. Aegrota, quanquam membrorum gravedinem accusat, tamen satis valide in lecto se erigit; cum difficultate loquitur, linguam turgidam esse opinatur. Glandulas salivales exploranti submaxillaris valde tumida et dura cognoscitur. Urina turbida et subfusca aperte reagit alcalice. Evacuatio non accidit, abdomen molle et sine doloribus attrectatur. Hepatis lobus sinister tactu quasi per costas falsas egressus sentitur.

Dies XIII. mensis Aprilis. Aegra, postquam ante meridiem aliquantulum panis siliginei, coctam carnem columbinam et jus comedit, tertia horam post meridiem horrore febrili corripitur, qui quidem nonnulla scripula tantum continet, tamen horis duabus saepius iteratur.

Sub vesperam hora VI. visitans aegrotam aucto febris ardore pulsum reperi durum, centum et quindecim vel viginti ictibus celerem. Lingua erat ad marginem

et apicem nigricante colore violaceo, media tanquam pellita et sicca, membrana mucosa calida et saturato rubore.

Patiens potum refrigerantem acidulum concupivit; data est aqua cum succo citri et saccharo. Remedium intestinum accepit kali carbonici saturationem. Erioxylum, tumoris tegumentum, intermissum, quia singulae pustulae lymphaticae, postremis viginti quattuor horis in exanthemate conformatae, tunc diruptae erioxylon cum cute conglutinare coeperant.

Dies XIV. mensis Aprilis. Afflicta noctu deliraverat, verba non cohaerentia ediderat, parco somno gavisa. Sinistram aurem dolere queritur, quae tumida et erysipelatose rubefacta spectatur. Lingua praeter dentes aegre protendi potest, loquendi sonus e naribus prodire videtur. Simul salivatio copiosa accidit, sed odoris expers. Glandulae salivales lateris dextri, parotis, glandulae sublinguales et submaxillares valde tumidae sunt; simul colli et cervicis glandulae lymphaticae participant tumorem, namque jacent sub cute sicuti coralia conserta, partim mobilia loco, partim immobilia. Liquore deglutitio difficilior reddita. Pulsus durus est celer, nonaginta quinque vel centum ictuum. Urina nunc quoque flammea cum nubeculis suspensis apparet; aegrota conscientiam sui servat, sed salivationis vehementiam conqueritur. Thea ex salvia et alumine datur, qua os eluat. Alvi purgatio per triduum suppressa olei ricini drachmis sex in coffea tenui praebitis restituitur. Totum latus sinistrum jam infecit erysipelas et lateris dextri tumorem prope invasit. Utrique oculi oedematose tumidi et patiens nonnisi palpebrarum fissura pollicis et indicis ope aperta homines et res circumdantes cognoscere valet. Lateris dextri tumor a tumore lateris sinistri duritie differt, etenim digito prementi dumtaxat sacco arena impleto similis cedit, locus pressionis parum cavatus diu remanet, semper ruborem nigricantem ostendens. Dum genae sinistrae color est ex

flavo rubicundus, dextra lutea atque fulva cernitur. Totius capitis ambitus duplicatus, fronte ad vesicae similitudinem fornicatim curvata et pustulis obtecta, genisque tumore inflatis nasus fere omnino evanuit; conchae auriculares perquam tumidae et duplo majores a capite distant, ita ut morbus populare nomen „*Swellhead*“ optime mereatur. Maxillam inferiorem aperiendi perexigua est facultas, dentes recte concludendi prorsus nulla; labra indurata et tumore turgida si divellis, linguae pars inferior spectatur, nam superior ad palatum appressa est.

Dies XVI. usque ad XX. mensis Aprilis. Quinque dies insequentes externa symptomata non mutata, tumoris durities sola magis magisque est aucta. Habitus soporosus cum torporis natura incidit. Febris circa pulsus frequentiam se praestitit remittentem, nam nonaginta quinque ictus mane numerati noctu ad numerum centum et viginti adaucti sunt, quae quidem varietas continuo pulsu centum et quindecim vel centum et viginti ictuum exaequabatur; pulsus in morbi processu e duro et celeri celer et mollis factus est. Deliria usque in diem prolongata et murmurantia. Pupilla, quam die XVI. et XVII. contractam vidi, die XIX. et XX. late patefacta et immobilis, simul in pectore et humeris petechiae et vibices animadversae. Tumor circa orbitam desedit die XX. atque iterum in profundo faciei deformis albugineam oculi nunc vigente colore flavo tinctam spectanti ostendit. Sudores exstiterunt frigidi et glutinosi. Die XXI. demum ineunte prima hora nocturna cum respiratione stertorosa et somno soporoso mors ex paralysi pulmonum consecuta est.

In cadavere tumoris deformitas, servata priori duritie, colorem plumbeum nigricantem obtulit. Obductionem cadaveris facere non permissum est.

II. Servus Aethiops Caesar, viginti et septem annos natus, statura media, tenera musculorum structura ac notabili originis et speciei typo insignis, quum lecto

affixum visendi causa die XVIII. mensis Martii primum accederem, jam dudum horroribus febrilibus atque horripilationibus omnium membrorum gravedini subjectus fuerat, animi dispositionem, antehac alacrem, in melancholiam et dejectionem abiisse sentiens. Examine instituto ex ipso nihil de probabili aegrotationis causa elici neque conjici potest. Secundum domini testimonium novissimo tempore nonnisi domesticis negotiis functus est, sed fortasse ex frequentibus frigoribus nocturnis perfrictionem sibi contraxit, cui opinioni etiam symptomata catarrhalia in narium et bronchorum membranis favebant. In emungendo et tussiendo sufflavum mucum consistentem ejiciebat.

Horrorem febrilem sub vesperum diei XVII. exortum cum eximio extremitatum rigore conjunctum noctu excepit ardor vehemens, me visitante adhuc perstans. Patiens, qui noctu avidissime aquam frigidam perpotaverat, interrogationibus meis lente et imperfecte respondet, tinnitum ante aures sentit; in lecto se erigere operosum est, caput dolet ac nominatim occiput. Oculi pupilla reagit contra lucem, in cubiculi obscuritate late patet; respirationis organa in bronchis exilem muci crepitum edunt, qui desinit tussiendo; praeterea sonus abnormis auscultando percipi nequit.

Thorax normalis, adeo optime excultus, praesertim in longitudinis diametro: inspiratio et exspiratio ad analogiam pulsus nonaginta ictus facientis, duri et frequentis, aeque acceleratae; per mollia et collapsa ventris tegmina aorta tangenti pulsans sentitur; cutis attrectata calida, non ardens nec sicca; lingua alba, ad radicem sufflave obducta, gustatus tanquam hominis saturati. Aeger ipse zeae placentam amaro sapore esse contendit. Jam aliquot diebus ante infuso lobeliae inflatae saturato dato vehemens exstiterat vomitus biliosus, tum obstructione alvi insecuta calomelanos dosis (ʒβ) praebita, quae largam purgationem effecit. Urina colore stramineo acide reagit. Symptomata

omnia me commoverunt, ut hic typhum incipere conjicerem. Dedi acidi muriatici ʒii in aquae destillatae ℥vβ, gummi arabici ℥β, binis horis cochlear et sorbitionem cremorosam.

Dies XVIII., XIX. et XX. mensis Martii. Aeger multum dormitat, noctu crebre loquitur ex somno. Narium membrana mucosa siccata est; tussis cruciatus et muci crepitus in bronchis desierunt. Respiratio, praesertim inspiratio acceleratior et aliquanto fortior est. Pulsus per horas matutinas et vespertinas centum ictus facit. Cutis siccitas aliquanto major et calor intensior; lingua plus quam antea obducta, in medio ostendit lineam fulvam; segniter tantum protenditur et iterata demum hortatione retrahitur. Urina tincturam e viridi pallidam assumsit, minus limpida est, sed acide reagit.

Dies XXI., XXII. et XXIII. mensis Martii. Pulsus retardatns hisce diebus non plus nonaginta vel octoginta quinque, immo die XXIII. hora VII. vespertina septuaginta ictus edidit. Cutis temperatura tepida, quantum tactu sentitur, calore normali inferior. In thorace et collo sudores percipiuntur, veterem caseum olentes, quales Aethiopibus proprii non raro occurrunt. Somnus soporosus quidem non adest, mentis atque animi conditio, qualis morbo fuit ineunte; lingua porrecta tremit, calida et glutinosa attrectatur, circa margines et apicem intense rubra. In potando nulla est vehemens festinatio, nec a norma diversitas. Evacuationes badiae, liquidae, typho propriae inciderunt. Die XXIII. singularem oris foetorem calomelanos cum solutione membranae mucosae inveni.

Die XXIV. per noctem molestissimae dyspnoeae cum sudoribus frigidis et avidis potationibus intrarunt, calore subsequente; pulsus mane ad centum et decem ictus evectus. Inter dextram narium alam et genam tumor procrevit adstrictus et nitidus; pupilla oculi angustata, albuginea in colorem sufflavum varians. Lingua tunc pri-

mum ardens et tanquam fusco cortice obtecta, nares fuliginosae; cutis, cujus color hucusque intense niger in nigricantem cineraceum mutatus erat, calida et sicca tangebatur. Noctu aeger vehementer deliraverat et identidem ad infimum lectum delapsus erat. Omnibus interrogationibus nihil aliud respondit, nisi *„yes, Master“*. Aesthesis generalis mansit integra; quoties extremitates vellicantur aut punguntur, oris anguli convulsive contrahuntur. Internum remedium diei: Rcp. acidi muriatici ʒii, chinini sulphurici gr. XII, aquae destillatae $\overline{ʒ}$vβ, gummi mimosae $\overline{ʒ}$β. D. S. singulum cochlear ternis horis. Quia vesicatorium in cervice inutile fuerat, die XXV. setaceum applicatum et tenso capiti cataplasmata frigida imposita.

Dies XXVII. Dextrae narium alae tumor rapide accrescens, et jam super totum latus dextrum faciei et super cervicem diffusus, nulla pulsus differentia intercedente, ab aure sinistra ad oculum et nasum progrediens, totum latus sinistrum faciei occupavit, ubique adstrictus atque compactus, vix cedens digito prementi. Cutis tumoris in fuscum varians, respiratio mane cum roncho facta, lingua sicca et fusca, nares et labra fuliginosa, oculi turgidi, caput tumore deforme. Glandulae salivales et lymphaticae induratae quidem attingebantur, sialorrhoea tamen non aderat, etsi oris odor calomelanos usum prodebat. Post meridiem ejusdem diei trismus et tetanus inierunt. Novem unciis sanguinis e vena brachiali detractis tetani remissionem sensit aegrotus, sed horis vespertinis floccos carpere et muscas capescere coepit atque eadem nocte mortuus est.

Sanguis detractus modicum crassamentum cum multo sero subviridi ostendit et substantiam fibrinam perexiguam.

Sectio die XXVIII. mensis Martii facta.

Octo horis post obitum, rigore mortis modo leniter orto, sectionem facere aggressus sum, ex qua haecce prodierunt: cutis nigra in cadavere pigmenti commutationem

passa est, jam enim ferruginea seu cineracea nigricans videtur. Facies et caput, exanthematis sedes, amissa cutis tinctura fusca, quam corpore vivo habebant, nunc intensius nigra fulgent quam thoracis cutis; sola abdominis cutis eandem ostendit nigritiam.

Cutis exanthemate infecta cum subjacente tela cellulosa valde coacervata concrevit, adeps formatus omnino evanuit. Supra parotidem lateris dextri et sinistri non minus quam in dextra narium ala firmiter compacta tela cellulosa tres partes digiti transversi interscindi potest, donec musculi et glandulae apparent. Epidermis, nisi aqua calida madefacta, non est absolvenda. Pigmenti stratum in corio consedit et granulatum tactu sentitur. In corii parte inferiore singulae cellulae adiposae supersunt, etiam in profundo musculorum faciei adhuc reperiuntur adipis strata. Ubi cutis non infecta est, subsitus invenitur panniculus adiposus. In textura cellulosa indurata, si inciditur, paucitas tantum liquoris lymphatici perspicitur. Parotis, glandulae submaxillares et sublinguales eo amplificatae videntur, quod in parenchymate eorum massae contexentes sese coarcervarunt. Singula glandularum lymphaticarum in collo et cervice conglomerata, si intersecantur, subrubram massam gelatinam exhibent.

Cavo cranii serra dissecto epicranium percrassum apparet — quod Aethiopum speciei proprium est — et substantia ejus spongiosa copioso sanguine impleta. Dura mater rete quidem vasorum vehementer venose injectum, sed praeterea nihil abnorme oculis offert; e sejuncta larga fit oedematis profusio. Inter arachnoideam et piam matrem exsudatum translucidum singulis gyris dejectum reperitur; in his vero cerebri convexitatis tunicis immodica sanguinis injectio, quae inflammationis conjecturam suggerere possit, non exstat. In basi cerebri contra inter arachnoideam et duram matrem seri non colorati copia cernitur. Inter pontem et chiasma nervorum opticorum

spatia subarachnoidalia exsudato floccido, subalbicante rubore tincto turgent, quod singulis stratis non arcte cohaerentibus, membranis simile, dejectum erat. Id fossam Sylvii pervadit et usque ad medullam oblongatam pergit. Substantia cerebralis normalis inventa et mollities nulla dignoscenda erat, quamquam exsudatum, cujus mentionem fecimus, in basi cerebri antegressam piae matris et arachnoideae inflammationem aperte prodidit.

Faucium, narium et oris cavi membranae mucosae cano colore tinctae et convolutae apparent. Lingua alte in cavo oris eminens, tenaci massa fusca, consistentiae crimnodis obtegitur.

In thoracis cavo abnormitas nulla. In cavo ventriculi splen peramplus est, at num naturalem modum splenis Aethiopum excedat, non est dijudicandum. Textura non admodum spissa, ex intersecta multus sanguis nigricans exit, qui in pultis similitudinem collidi potest. Hepar colore fulvum et crassitudinis diametro respecta amplificatum. Parenchymate dissecto serum sufflavum effluit et parenchymatis tinctura badia maculis flaventibus, magnitudine inter acus capitis et lentis modum variantibus (armato oculo distinctius dignoscendis), perspersa est. Vena portarum eo loco, ubi in hepar intrat, nigro sanguinis coagulo abundanter impleta. Pancreas et stomachus abnormitates morbosas utique nullas inspicienti obtulerunt; stomachi fundus ciborum reliquiis valde fluentibus repletus. Glandulae mesenteriales, ad amygdalorum vel nucleorum persici magnitudinem tumefactae, interjectis coagulis venosis turgent. Intestini duodeni et jejuni membrana mucosa suffarcinata conspicitur, colore caesia, prope glandulas Peyerianas ex cano rubicunda; singuli folliculi tument, nec minus glandulae Peyeri, quae ampliores suffarcinationes cum superficie levi et ex cano rubicante formant; margines ejus acutae et in causiae speciem recurvatae sunt. Ulcerum et cicatricum formatio non patet. Substantia in-

testinis insita floccosa in duodeno lurida, in jejuno et colo badia cernitur. Colon ascendens gasis copiose refertum.

Medulla spinalis inter duram matrem et arachnoideam exsudatum serosum continet; pia mater, inprimis ad collum versus, rete vasorum venosum, admodum injectum ostendit.

Circa incisionem in setacei usum factam tela cellulosa indurata apparet, in plano incisionis mucus tenax colore ravus sedet, in quo globuli purulenti non sunt cognoscendi.

Nervus sympathicus, colli, thoracis et abdominis ganglia ex rubro pallentia, ampla et summa ad tactum consistentia sunt.

Ad vasorum systema quod attinet, in cute interna, in corde et in majoribus vasorum truncis nulla exstat rubefactio abnormis.

III. Carolus Forbes, studiosus juris utriusque, viginti annos natus, statura brevis, corporis formatione regulari, sano faciei colore, capillis lanuginosis, ex nigro fuscis, oculis fuscis et ingenium prodentibus, ore minuto, buccis convexis, forma faciei regulari, ex longo rotunda, alta fronte, cranii forma ab parte anteriori ad posteriorem magis in longitudinem extensa, alacri promtoque animo, temperamento chlolerico, postquam die vicesimo nono mensis Martii in familiae cujusdam amicitia sibi conjunctae consessione summa cum hilaritate affuit, post firmum continuumque somnum expergefactus caput sensit gravatum. Sex hebdomades jam apud fratrem, ecclesiae episcopalis sacerdotem caelibem, commoratus in eodem lecto cum eo cubabat. Sacerdos ista nocte ad aegrotum erysipelate infectum, ut munere sacro fungeretur, vocatus, exierat atque redierat, neque tamen ullo modo fratris somnum interruperat. Cui rei postea contagii translatio adscripta est. Progrediente die quum capitis dolores increscerent et cibi fastidium iniret, immo postero die, ultimo mensis

Martii, gravedo capitis ad prementem occipitis dolorem adaugeretur et lingua albido indumento tecta esset, emeticum — tartari stibiati gr. IV. continens — sumptum, quo larga quidem vomitio biliosa, sed nulla dolorum mitigatio adducta est. Insequente die — calendis Aprilibus — patiens, qui noctu paulisper transpiravit, e lecto surgere conatur. Insignem membrorum gravedinem sentit, ingressus est titubans. Faciei color identidem mutatur e rubro in pallidnm, labra et ungues livescunt, simul horrores febriles incedunt et oculi dextri conjunctiva est rubefacta; lingua crassius obducta et aeger gustatum amarum atque pultosum accusat. Post meridiem inquies eximia et anxietas oriuntur, quae neque cubantem acquiescere, nec sedentem in statu erecto manere patiuntur. Vesperi membrorum tensio, dorsi et surarum dolores et post septimam horam vehementia frigora quassantia, plus duas horas continua incidunt. Tum calor mordax sequitur et deliria actionibus adeo vehementibus conjuncta, ut patiens pluries e lecto exsilire conetur. Pulsus est plenus, centum et quinque ictuum. Febris remissior fit horis matutinis.

Die II. mensis Aprilis nona hora matutina pulsus nonaginta ictus facit, aegrotus tranquillior est et interrogationibus propositis prompte respondet, meliorem se valetudinis habitum sentire adjiciens quam diebus antegressis. Potum dedi cremorem tartari ex aqua, medicamen nullum. Urina noctu missa flammea est. Horis pomeridianis calor denuo accrescit, cutis calescit et exsiccatur, pulsus durus et adeo frequentatur, ut centum et quindecim, quin centum et viginti ictus numerentur. Ad dextrum oris angulum tensio atque uredo exoriuntur et macula rubra magnitudine parvulae monetae similis spectatur, quam lapide infernali madefeci. Noctu deliriis repetitis fomenta frigida capiti applicantur. Postero die mane rubor jam palmae ambitum adeptus et tumefactus est; attrectatus calorem insignem prodit, digito prementi cedit, quo retracto pallidum osten-

dit colorem. Rubor diffusus potius quam circumscriptus est, pulsus frequentia centum ictuum, facies distorta, oculi dextri conjunctiva rubefacta, in palpebra inferiore oedema percipitur. Exanthema denuo solutione argenti nitrici per totam extensionem oblinitur. Potandum tenue tamarindi decoctum refrigeratum propinatur. Horis vespertinis, quum pulsus frequentia iterum accresceret et exanthema intensius rubefactum et adstrictius, pupillae magis coarctatae apparerent, vesicatorium cervici applicatur et fomenta frigida capillis tonsis continuantur.

Dies IV. mensis Aprilis. Praeterita nocte deliria modica tantum fuerunt, vesicatorium amplam elicuit vesicam; exanthema quidem elatius, sed ambitu non multo auctius cernitur; oculus dexter adhuc est apertus, pulsus octoginta quinque ictus facit, lingua indumento est quasi pellita, glandulae submaxillaris tumor turgore sentitur; urina prasino est colore; alvi evacuatio ultro consecuta ex fusco flavam et pultosam habet qualitatem. Sinistri anguli oris et alae narium cutis colorem flavum recepit. Respirationis organa et abdomen nihil a norma recedens offerunt, immo hepatis regio pressa non dolet. Abdominis tegmina sunt mollia, neque splen neque hepar inflammationem aut voluminis amplificationem ullam indicant.

Dies V., VI, VII. ejusdem mensis. Erysipelas paulatim super totum latus dextrum faciei diffunditur, oculus dexter utrisque palpebris oedematose tumidis clausus est, ita ut fissura sejungens paene discerni queat; cutis hoc loco est rufa. Concha auricularis pariter affecta est rubro tumore et meatus auditorius externus admodum coarctatus. Patiens sonitum frementem se audire conqueritur. In capillato capitis corio exanthematis expansio non videtur, parotis aeque compatitur et super eam tumor insignem indurationem attingenti prodit. Glandula sublingualis minus participat. De naturali exanthematis tinctura judicium ferre

non licet, quum solutione argenti nitrici frequenter oblitum denigratum sit.

Febris post eruptionem die tertio Aprilis, si pulsus frequentiam sequimur, moderatior est, facit enim horis matutinis octoginta vel octoginta quinque, vespertinis nonaginta vel nonaginta quinque ictus. Nocte ac die somnus intrat, sed nunquam per horas complures continuatus et raris deliriis interruptus. Universalis aegroti aesthesis non turbata est; lectum commodius sterni desiderat, siti cruciatus potum requirit, temporis molestiam queritur, sicut violentos quoque dolores capitis, nominatim occipitis, pressionem et tensionem tumoris; interdum etiam ardentem dextrae genae dolorem se sentire dicit. Capiti pulvinus pilis impletus substratus est, fomentis frigidis perpetuo adhibitis.

Membrana mucosa narium sicca, oris calida et tenax est, lingua crasso, pelliceo indumento albo obducta, apex et margines ejus rubefacta, radix sufflavo indumento tecta, papillae vallatae sub indumento paululum tumefactae sentiuntur et attingenti calorem et humiditatem indicant. Gustatus adhuc amarus est, tamen aegrotus aliquantulum juris et gelatinae comedit et vicissim modo cremorosum, modo acidulum potum sorbet, etiam aquam ex fonte vivo haustam, potissimum tempore nocturno. Cutis per horas matutinas humidior, post meridiem et vesperi calida et sicca attingitur, attamen calor non amplius est mordax. Excreta urina est cruda, adspectu prasina et turbida; primis diebus paululum acide reagebat, nunc alcalice et neutraliter. Evacuationes non copiosae, faeculenti odoris et satis compactae.

Dies VIII., IX., X. mensis Aprilis. Exanthema non amplius dilatatum, utriusque palpebrae oculi dextri oedema venose caeruleum colorem induit et deminui coepit. Ad angulum oris prius infectum epidermis corrugatur, rugae in dies magis per genam repanduntur, die nono desqua-

matio furfuracea conchae auricularis sentitur, etiam exigua tumoris imminutio visibilis. Oculi pupilla lente reagit contra lucem et obscuritatem, neque immodice contracta, nec dilatata est. Membrana narium mucosa sicca, os ductili saliva impletum, cui ex angulo lateris dextri exitus datur. Linguae indumentum propius abiit ad radicem, anterior pars et apex claro rubore tincta, tangenti lingua calida et glutinosa sentitur. Dentes obtegit mucus sufflavus. Febris circa pulsus frequentiam satis aequabilem ostendit constantiam, modo arteria radialis minuta et durior percipitur. Aegroti aesthesis universalis et intelligendi facultas decreverunt; situ non turbato contentus non amplius potum postulat, jacet tranquillus, sed non dormit neque respondet, nisi pluries interrogatus; si alloqueris eum, leniter cohorrescit, quasi e somno excitatus. Vox aliquantum balbutiens facta, respiratio accelerata, in inspirando profunda, in cute a prioribus diebus diversitas nulla animadvertenda. Tegmenta abdominalia in musculi recti decursu tensa sentiuntur, in colo gasorum accumulationes visibiles sunt. His tribus diebus alvus non purgata est. Urina quidem pallidior facta, tamen turbida manet, in charta crotone tinctorio imbuta neutralem se exhibet. Accipit aeger calomelanos grana bina pro dosi.

Dies XI., XII., XIII. mensis Aprilis. Exanthema volumine deminutum, oedema orbiculare desedit et tincturam ostendit violaceam, ad margines in luridum colorem exeuntem. Genae epidermis singulis pannis majoribus detrahi potest; cutis rufa sicut furfur desquamatur, idem auris cutis patitur. Etiam concha auricularis volumine decrevit. Oedematis temperatura non superat eam, quam reliqua cutis habet. Durities subjacens lente cedit digito prementi et factam cavaturam diu servat. Pupillae dilatatae sub palpebra superiori se absconditurae sunt, ita ut e fissura angusta nihil nisi albuginea eniteat. Febris est continua continens facta, torpore characteristica; pulsus durus et

celer, quovis diei tempore nonaginta quinque vel centum ictus edit. Cutis attingitur sicca et calida. Nares interne fuligine febribus typhosis propria circumdatae, lingua saepe sicco cortice fusco obducta aegre praeter dentes extendi potest, idque committens tremit. Non minus tremunt manus et brachia sublata; tendines frequenter salire animadvertimus.

Aesthesis universalis prorsus aufugit; apertis oculis atque aperto ore aeger cubat supinus, ad infimum lectum delabitur, tota physiognomia ingenii hebetis instar exprimit. Sibi relictus in delirium murmurans et mussitans incidit; digitos manus dextrae ad os admovet, ut inde cutem desquamantem decerpat, bibit nonnisi quod ultro praebetur; non respondet interrogatus et circumdantia parum curare videtur. Intestini et vesicae evacuationes fortuito eveniunt; illae die XI. qualitatem excrementis post calomelanos usum propriam ostendunt, subviridem scilicet colorem cum substantia ovis friatis simili. Die XII. et XIII. valde fluentes, badiae et flocculis biliosis nonnullisque massis obscuris crimnodibus intermixtae. Quibus diebus patiens accepit acidi muriatici ℥ii, aquae destillatae ℥v, syrupi simplicis ℥i, binis horis cochlear. Bibendum dedi gummi Arabicum et succum citreum ex aqua fontana.

Dies XIV., XV., XVI. Noctu diei quarti decimi cutis calescere et humescere incipit; sudores existunt totam cutis superficiem aequabiliter occupantes et ultra diem sextum decimum continuo perseverantes. Pulsus duritiem et tenuitatem amittit, plenior fit, sed facili negotio comprimitur; frequentia ejus nonaginta ictuum. Sentiendi facultas adaugetur, somnus tranquillus per horas complures continuatus incedit, palpebris arcte clausis; die sexto decimo aeger primum bibere desiderat et si qua necessaria, indicat. Lingua jam humida sentitur; evacuationes odoris cadaverosi substantias continent colore et qualitate pici liquidae similes; simul etiam gasa frequentia effugiunt.

Inde a die quarto decimo fomenta frigida omissa sunt; cantharis ad plus eliciendum non amplius adhibetur. Patiens jus e carne decoctum sorbet; acidi muriatici usus continuatur.

Dies XVII., XVIII., XIX. Sudores valde copiose profunduntur, quare cutis, ut reficiatur aegrotus, pluries aceto aromatico abluitur. Patiens animi dispositionem vehementer morosam manifestat, varios cibos libando appetitum tentat; lingua hic illic indumentum pellitum amittit, quod tamen renovare se amat. Pulsus plenior fit, frequentia ejus ad octoginta quinque ictus remissior. Aegrotus valde emacuit, sed facies priorem formam et nobilitatem recipit. Somnus mirum in modum continuus fit; dormit enim aeger per diem et noctem, expergiscens sui conscius est et cognoscit circumdantes.

Dies XX. Sub horam sextam matutinam et longo profundoque somno experrectus et calidos sudores valde profusos passus est. Cubile siccum postulat et fame se cruciari dicit. Lingua nunc primum omnino pura spectatur. Omnia, quae circa eum aguntur, animum patientis alliciunt atque occupant, multas quaestiones facit de priori conditione sua, cujus singula momenta tantum memoriae mandata supersunt. Revaluit ex morbo gravissimo.

Octo post diebus primum conatur lectum relinquere. Vires celeriter increscunt, sed omnes capilli excidunt et supplentur recentibus. Telae cellulosae indurationes, aut cutis cum musculis substratis concretiones in latere exanthemate infecto non cernuntur.

Constitutioni corporis morbus detrimentum visibile non attulit et post trium hebdomadum spatium aeger tam vehementer afflictus jam perfectae valetudinis imaginem retulit.

PROGNOSIS.

Prognosis hujus morbi minime fausta, sed aperte pessima est, quum de tribus aegrotorum partibus plus duae

occumbant et vel hominibus robustissimis atque in flore aetatis versantibus maximum et infectionis et exitus letalis impendeat periculum.

Res iniquae fere hae sunt: si prodromi diu ante morbum prorumpentem incidunt et aegroti tanquam aerumnis debilitati hosti succumbunt. Tum si morbo incipienti affectiones animum deprimentes, aegritudo, cura, stomachus antecesserunt. Dein si aegrotus insalubribus alimentis, semiputida carne salita et ejus similibus diu vescebatur; si porro domicilium solo proximum ideoque aeris inficientis effluviis maxime expositum est.

In ipsius morbi eruptione fausta sunt prognostica: si exanthema in stadio primo perfecte se evolvit et ambitum suum figit; si alterutrum modo latus capitis occupat; si induratio oculi cavo parcit; si febris in stadio primo habitum erethicum conservat; si aesthesis universalis aegrotum in stadio primo non relinquit. In stadio altero: si exanthematis desquamatio oritur; si oculi pupilla contra lucis radios adhuc reagit. In stadio tertio: si morbus in hoc stadium intrat, ut exanthema jam manifesto decrescat; si sudores horis matutinis jam paululum remittunt; si hoc stadio ineunte pulsus ita intermittit, ut inde sanguinis unda plenior fiat; si idem sub finem hujus stadii mollis atque lentus factus est; si redit sui conscientia. Non minus prosperae sunt febris intermissiones, licet sint quotidiano vel tertiano typo propiores; in genere sanationis spes est, si morbus in hoc stadium transiit.

Indicia mali ominis sunt: si exanthema in stadio secundo nascitur; si in eodem super alterum facici latus diffunditur; si hac in periodo nulladum conspicitur desquamatio; si pupilla jam primo in stadio contrahitur et luce non irritatur; si in periodo prima deliria usque ad horas matutinas continua incidunt. Quo celerior atque minor est pulsus, eo propior finis; proximus, si ictus jam non licet numerare; celerrime intrans collapsus pernicio-

sissimus. Sanguinis profusiones passivae, licet ex ore exeant, sive e naribus, sive ex ano, si in stadio secundo et tertio eveniunt, periculum maximum minantur; non minus meteorismus alvi, aut petechiae et vibices ortae. Perniciosa quoque sunt spasmata tetanica et alii cruciatus spasmatici. Sudores glutinosi et extremitatum frigora propinquum indicant obitum.

THERAPIA.

Prophylaxis. Quamdiu hominis manus cultrix in eo laborat, ut solum istarum regionum ad fruges ferendas aptum reddat, et quotannis novos agros e putridis plantarum et animalium substantiis formatos ardentibus solis radiis exponat: tamdiu ejusmodi malignae pestilentiae typhosae humano generi perniciem minabuntur. Noster morbus, qui anno hujus saeculi quadragesimo quinto in regione Carolina primum animadversus, deinceps certo ordine non interrupto cum primis tempestatibus vernis rediit, aliquando fortasse evanescere poterit, postquam agentia ignota, quae eum gignunt, desierunt.

Ad evitandum morbum, si sedem ejus omnino evitare non licet, utilia sunt: prae ceteris nutrimenta carnis recentis neque corruptae et legumina, quae prima aestate soli fertilitas procreat. Si agricultor illius terrae non abstineret a vitae necessitatibus atque commodis, unico eo consilio, ut pecunias coacervet, neque quae soli fertilitas abundanter offert — cujus generis sunt volucres, ova, lac, butyrum — vendere mallet, quam ipse his rebus frui: multi fortasse incolae hujus morbi atrocitate e familiae gremio non eriperentur.

Porro prodest evitatio perfrictionis cujusque et noctu cubiculum calidum, vicinis nebulis et exhalationibus noxiis non nimis expositum. Si opera rustica perficienda sunt, cavendum est, ne corporis vires praeter modum exhauri-

antur, neve quiescendi causa in propinquitate terrae aratro recenter subversae corpus abjiciatur.

Declinandae etiam sunt affectiones animum deprimentes et prae ceteris jam aegrotorum vel paene restitutorum infectiones. Narratur accidisse, ut omnes ad ejusmodi funeris exsequias congregati quattuor hebdomadum spatio eadem pestilentia correpti sint et pauci tantum obitum effugerint.

Eo insuper tempore, quo grassatur morbus, cavendum, ne male sanus corporis habitus temere negligatur.

Chlori, acidi acetici et nitrici fumigationes aedium tum nominatim necessariae esse et ad delendum contagium valere videntur, ubi aegrotationes jam acciderunt. Aer purus immittatur in conclavia, vegetabiles et animales substantiae putrescentes ex aedium vicinia removeantur.

Curatio morbi. Num statim ab ortu hic morbus interrumpi possit, certo decernere difficillimum est. In praxi mea utique obvia erant exempla, ubi morbi eruptionem conjeci et emetico, purgatione (infuso sennae cum natro sulphurico), immo jam exoriente inflammatione erysipelatode cutem lapide infernali madefaciendo sanitatem restitui. At frequentiora erant specimina, ubi morbus per haec atque omnia alia ad sanationem adhibita praecipiti evolutione ad necem processit.

Prima morbi manifestatio commovit medicos istius regionis, ut sanguinem mitterent, unde consecutum est, ut post primam venaesectionem recens horror febrilis existeret, plerumque cum exitu morbi atque aegroti. Prima sanguinis missione et insequente horrore prospere superatis, in spatio apyrexiae apertissimis, quod medici dicebant, encephalitidis symptomatibus distinctae repetita est venaesectio, vulgo usque ad syncopen; aegrotus saepe nonnullis momentis post obiit, aut horrores denuo inciderunt, comitantibus mortis sudoribus. Diagnosis haec fuit: erysipelas conjunctum cum maligna febre intermittente (*„Erysi-*

pelas combined with malignant intermittent fever"). Qui titulus in fronte est descriptionum, quas de hoc morbo medici Americani ediderunt. Daniel Drake in opere suo *(Systematik treatise on the principal diseases of the internal valey of North-America. Cincinnati MDCCCL.)* pag. 705, ubi de malignae intermittentis complicationibus loquitur, eas complicationes se manifestasse ait: *„in the epidemic erysipelas of the last few years"*. Hae venaesectiones omnibus illic habitantibus terrorem injecerunt; renitebantur contra eas in quolibet morbo et ubique eas damnosas putabant. Ac profecto perbrevi tempore medici eandem opinionem adoptarunt. Ergo ipse pleuresias sine sanguinis detractione semper prospero cum successu curavi et malam valetudinis constitutionem, qualis illic est, in plerisque symptomatis inflammatoriis sanguinis detractiones non sustinere et vel topicas non ita laetum eventum adducere arbitror, ut in morbis similibus regionum ad septentriones vergentium.

De morbi curatione, qualis vere anni quadragesimi octavi medicis Americanis usitata erat, haecce adnotanda sunt:

1. Exoriente morbo emeticum dabatur vel ex ipecacuanhae radice vel ex infuso herbae lobeliae inflatae.

2. Tum validae doses calomelanos, quattuor vel sex grana binis horis, per quinque vel sex dies continuabantur, ergo primo morbi stadio durante.

3. Chinini duo vel tria grana pro dosi quatter vel sexies per diem porrigebantur in stadio secundo.

4. In stadio tertio ab aliis vina, qualia Madeira et Oporto praebent, aut frumento expressa — *„brandy"* — ab aliis amara infusa aromatica, gentiana, calamus, etiam leniter adstringentia administrabantur.

Externe adhibebantur:

1. Fomenta frigida in capite; infrictiones unguenti

hydrargyri cinerei ab aliis circa exanthema, ab aliis in ipso exanthemate.

2. Vesicatoria in cervice, quae usque ad erysipelatis desquamationem unguento cantharidum aperta conservantur.

3. Circumscribebatur erysipelas argento nitrico fuso, aut oblinebatur solutione argenti nitrici gr. VI. vel IX. in aquae $\overline{z}$j.

Hac in re plerique medici simul tractatione symptomatica utebantur; contra alvi profusiones opii tincturam ordinabant; contra haemorrhagias ex intestino, e naribus, ex pulmonibus plumbum aceticum.

Mea curandi ratione ab initio calomelanos usus vitatus est, ne salivatio celerius eliceretur, cujus in locum dedi leviter laxantia, infusum fol. sennae cum aliquantulo radicis ipecacuanhae et natro sulphurico. Externe exanthema modo nascens argento nitrico oblevi auctore Higginbottom et emplastra cantharidum cervici applicavi. In stadio secundo dedi acidi muriatici ʒii in aq. destill. $\overline{z}$v—vi, binis horis cochlear cibarium, sorbendum oryzae cremorem et aquam fontanam. In stadio tertio chininum in acido muriatico solutum et diaetam modice alentem adhibui.

Postero tempore fortuito ad curam aliam traductus sum, quae in stadio secundo morbum feliciter mutare visa est. Aethiopi cuidam, in altero morbi stadio versanti, quum sialorrhoea vehementer molestaretur, praecepi cupri sulfurici gr. VI, aq. destill. $\overline{z}$vi, quo fauces et guttur eluceret. Viginti quattuor horis post iterum visitans aegrotum — die nono post morbi originem — calidis sudoribus criticis superfusum inveni; exanthema valde delapsum jam desquamari coepit, sui conscientia ita restituta, ut ultimum medicamentum denuo postulans lagenam eam digito demonstraret, ex qua fauces eluerat. Diligentius examinanti mihi adapertum est, ex illa eum binis horis cochlear hausisse. Vomitus non insecutus est, sed morbus satis apertum ad sanitatem progressum fecerat, quae, postquam su-

dores maximam stadii tertii partem expleverunt, tandem vere revenit. In tribus casibus primo triduo dedi calomelanos grana duo pro dosi binis horis, tum hanc solutionem: Rcp. cupri sulfurici gr. III, aq. destill. ℥vβ, gummi mimos. ℥β. M. binis horis cochlear. Eventus respondit periculo. Exortis sudoribus iterum ad acidum muriaticum et chininum in acido muriatico solutum transii. Sed postero tempore in hoc morbo non amplius mihi occasio oblata est, qua, quid cuprum sulphuricum post calomel antecedens efficiat, diligentius explorare potuissem.

Posthac in faciei et oculi inflammationibus erysipelatosis cupri sulfurici vim salutarem observavi, sed eam tum modo efficacem inveni, ubi calomelanos usus praecesserat. Multis experimentis edoctus recte statuere mihi videor, cuprum sulfuricum ubique utile esse, ubi calomel efficacitatem amiserit, nominatim in membranarum serosarum et mucosarum inflammationibus et in istis erysipelaceis.

Germanicorum medicorum facile primus, qui hujus morbi descriptionem promulgaverit, paucis meis observationibus animos cum scientiae commodo ad hoc morborum genus me adversurum spero, ut amplioribus eorum indagationibus etiam huic provinciae adhuc obscurae, quantum fieri poterit, lux quaedam afferatur.

VITA.

Ego, Fridericus Guilelmus Nathusius, d. XVII. m. Augusti a. MDCCCXV. Baruthi, oppido provinciali, patre Henrico Guilelmo, matre Carolina e gente Reichert natus sum. Fidem confiteor evangelicam. Litterarum elementis instructus gymnasium Lucaviense per annos sex frequentavi. Quattuor annis post patris mortem a. MDCCCXXXI. d. IV. m. Junii illud gymnasium reliqui et me contuli Vratislaviam, ubi in scholam medico-chirurgicam Ill. Wendt directore inscriptus sum. Ibidem habui praeceptores per trium annorum cursum medico-chirurgicum Ill. Otto, Ill. Wendt, Ill. Geppert, Ill. Seerig, Ill. Barkow, Ill. Remer, Ill. Betschler, Cel. Wentzel, Cel. Kuh, Cel. Knispel, Cel. Burkhard, Cel. Schummel. Deinde Berolinum discessi, ubi per semestre instituta clinica Ill. de Graefe, Ill. Rust, Ill. Dieffenbach et Cel. Wolff frequentavi.

A. MDCCCXXXIX. in medico-chirurgia atque arte obstetricia approbatus sum. Dein praxin medico-chirurgicam in pluribus civitatis nostrae provinciis exercebam, nominatim Vandisburgi, Borussiae occidentalis oppido, per annum unum; tum in insulae Rugiae peninsula Wittow per annos quattuor. Ut terras peregrinas visitarem, itinera feci in Scandinaviam, quasi me praeparaturus ad magnum iter per mare Atlanticum in novam Americae continentem.

A. MDCCCXLIV. pridie calend. Aug. in navi Franklin nominata in portum Eboraci novi veni. Ibidem mox per litteras me introducentes non solum inter incolas nativos, sed etiam inter advenas Germaniae, Franco-Galliae, Italiae, Hispaniae, Scotiae, Britanniae aliarumque terrarum permultos inveni amicos. Tres annos in hac urbe praxin medico-chirurgicam exercebam, quo facto rempublicam Carolinam septentrionalem petii ibidemque per octo menses medicus et chirurgus fui. Vere a. MDCCCXLVIII. navigavi in Antillas et tres per menses in insula St. Domingo, inprimis illa in parte versatus sum, quae Haiti vocatur. Tum ex hemisphaerio occidentali regressus in Britannia commoratus sum et denique in patriam redii. Ab a. MDCCCXLIX. ad MDCCCLIII. in oppido natali artem medico-chirurgicam factitabam. Exeunte a. MDCCCLIII. in oppido Luckenwalde consedi ad praxis meae circuitum amplificandum. Postquam auctumno a. MDCCCLV. testimonium maturitatis examine abiturientium in gymnasio Coloniensi Berolinensi Cel. August directore superato adeptus sum, ministerium regium tentamina et philosophicum et medicum atque examen rigorosum subeundi licentiam mihi dedit.

Jam his tentaminibus examineque rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite superatis fore spero, ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Calidam zonam inhabitantes non sunt sanguinis calidioris quam in regionibus polaribus degentes.
2. Infantes fasciis involvere corporis evolutioni detrimentum affert.
3. Epidemiae typhosae cum febribus intermittentibus confusae facilius curantur.
4. Aequatoris ardor contagium typhi exstinguit.
5. Quod Hippocrates dixit: „ἐρυσίπελας ἔξωθεν καταχυθὲν ἔσω τρέπεσθαι, οὐκ ἀγαθόν· ἔσωθεν δὲ ἔξω, ἀγαθόν“ etiam hodie valet.